

mant, vnde Cainiani heretici. Vnde illud Tertull. Apud Valentinianos, Trinitas hominum. Inde error est, cognitione sola contenti sunt, bona verò opera spernunt, vti inutilia, & multo risu excipiunt. Itaque quodlibet sceleris genus intrepide perpetrant. *Ἀδύνατον* enim putant *φθορὰν καταδέξασθαι, καὶ ὅποιαις καταγένοιται πράξεσιν*, inquit Epiphanius. 9 Idolothytis vescuntur, etiam perfectissimi horum, quæ in honorem idolorum mutantur, & festa gentiliū celebrant, vt inquit Theodoretus. Denique Prophetas veteris testamenti explodunt. Tres enim Prophetarum spiritus constituunt, à Bytho, ab Unigenito, à Patre, omnes inter se dissimiles. Ita omni erroris vitio & genere miseri illi & impostores homines sunt fascinati. Aduersus hos Iustinus, Irenæus, Proculus, Miltiades, & Tertullianus scripserunt.

## CAP. XII.

Secundiani quid à Valentinianis differant.



*Secundiani* hoc à Valentinianis distare dicuntur, quòd addunt opera turpitudinis.

I *Secundiani.*) Quemadmodum Dominus noster Iesus Christus habuit suos Apostolos, per quos salutarem doctrinam annuntiari mundo voluit, ita etiam Satan suos emissarios & erroneos, per quos zizania in agro Domini, quæ est Ecclesia, seminavit. Inter eos autem præcipuus, quidem fuit Valentinus, de quo iam diximus, & post eum illi, qui ab eo, tanquam ex foetida fornace, incendiarii prodierunt. Fuerunt autem ii plures, & latissime sparsi,